

Dumque Eius almus Spiritus erigit,
 Ducit me in altum; muneribus replens
 Illabitur cordi, simulque
 Me miserum recreat dolore:

Nam me ut dolori Cordis amabilis
 Iesu sub umbris Gethsemani, lene
 Solacium ferrem, perenni
 Martyrio premit; utque servo

Gustare paenas dat Domini sui,
 Donis decorat Flaminis intime,
 Turgente submersum procella
 Me faciens animosiozem. . .

Iam prata fulgent florida Patriae;
 Palmeta Sion perspicio prope;
 Caelestis Eden vox et aurae
 Me recreant placido rumore.

Celsi vireti capto opobalsama;
 En astra rident: os Patris intuens
 Et perfruens Eius decore,
 Perpetuum loquar Alleluia!

1890 — 25 Decembris — 1950.

AD PRINCIPES ECCLESIAE COLUMBIANAE
 IN CONVENTU ADUNATOS

Ignifer Caelo veniens ab alto
 SPIRITUS, sacris radiis adesto
 Praesulum Coetu, rutilantis orna
 Numine Veri!

Queis Gregem CHRISTI, Fidei Magistris,
 Gratiae praebes cumulare donis,
 Hi, perhorrentes sola sicca, prata
 Pascua quaerunt.

Unde, fraterno comitante amore,
 Sub Tuis alis habitant, COLUMBA;
 Gestiant natis Tuo in ore capta
 Fundere rora.

"Syllabi" voces repetunt Piani;
 In chao magno cupiunt micare,
 Suave Sionis iubar, atque tela
 Frangere Satan. . .

Ast lupi erumpunt stygiis latebris
 Qui vafri pelles referunt ovinas,
 Qui solum lambunt simulantque puram
 Relligionem.

Civium indigne solium tenentes
 Dum *tenebrarum* remanet *potestas*,
 Iura conculcant veneranda MATRIS,
 Iura Iuventae.

Principes sancti, decus atque nostrum
 Qui Columbinam regitis Phalanga;
 Bar Iona nati, generose Sanguis,
 Gloria CHRISTI:

Fluctuat Navis, minitat procella:
 Sed PETRI clavus dominatur undis:
 Fas erit "tristes Hyadas" fugare,
 Vergiliasque

Reddere, effusis precibus, benignas;
 Ponere et proram Patriis in oris,
 Dum MARIS STELLA in tenebris nitore
 Fulget amico.

Pro Domo murum DOMINI levatis;
 PNEUMA Divinum movet ora Patrum;
 Ordine expectant acies: iubete:
 Iussa sequemur!

En cohors fervens: XAVIER secuta,
 Signa iuravit: parat arma bello;
 Serviens Vobis, avet ad pericla
 Summa volare. . .

IIII Nonas Maias A. D. MDCCCCXXXIII.

DANIEL RESTREPO S. I.

EPISTOLARIOS DE DON RUFINO JOSE CUERVO Y DE DON MIGUEL ANTONIO CARO

Con las cartas insertas a continuación proseguimos la publicación de los epistolarios de don Rufino José Cuervo y de don Miguel Antonio Caro. Incluimos tres cartas de don Rufino, cuyos originales nos fueron gentilmente enviados desde Quito por el Padre Aurelio Espinosa Pólit, S. I., el distinguido humanista ecuatoriano, amigo de nuestro Instituto y colaborador de *Thesaurus*. La primera de ellas está dirigida a don Belisario Peña (Zipaquirá 1834 — Quito 1906), notable poeta místico colombiano que residió muchos años en el Ecuador. Las otras dos tienen por destinatario al doctor Manuel María Pólit, canónigo de la catedral de Quito.